

# EPISTULA LEONINA

## CII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XCVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SECUNDAM (102) !**

## ARGUMENTA

### DE SANCTO IOHANNE (II)

#### De Evangelio Sancti Iohannis

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

#### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam secundam.*

*Alteram partem tibi praebeo Trilogiae Iohanneae, qua agitur de Evangelio Iohannis. Maximam partem Latinê reddidi symbolas Wikipedianas, quae spectant ad Iohannem eiusque evangelium. Ergo minimê scripsi opus originale a me ipso excogitatum, nisi concedas ipsi versioni Latinae hodiernâ saltim aetate inesse aliquid originale.*

*Evangelium Iohannis quatenus differat a ceteris tribus, quae synoptica solent appellari, referam. Verum enimvero et hoc evangelium est aenigmaticum et eius auctor. Theologi enim vehementer inter se dissentiunt de auctore evangelii eiusque argumentis. Plerique theologi hodierni non iam credunt auctorem esse Iohannem apostolum illum filium Zebedaei, fratrem Iacobi eundemque esse ac illum discipulum Iesu dilectissimum. At permultis artificiis aetatum priorum Iohannes apostolus illustratur et auctor evangelii et discipulus Iesu dilectissimus. Itaque praeter rigorem theologiae modernae criticum licet hac in Epistolâ Leoninâ leviter saltim tangatur simplex pietas mediaevalis ingeniosê illustrata.*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
**die Dominico, 24. m. Apr., a.2016**



**ΕΝ ΑΡΧΗ ΗΝ Ο ΛΟΓΟΣ ΚΑΙ Ο ΛΟΓΟΣ ΗΝ  
ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΘΕΟΝ ΚΑΙ ΘΕΟΣ ΗΝ Ο ΛΟΓΟΣ**

**IN PRINCIPIO ERAT VERBUM  
ET VERBUM ERAT APUD DEUM  
ET DEUS ERAT VERBUM.**

Ecce sculptura, quam e ligno tiliagineo confecit Tilman Riemenschneider: *Evangelista Iohannes*, a.1490–1492. Quae sculptura est pars gregis quattuor evangelistarum, fuit in altari ecclesiae Sanctae Magdalenae, in *Münnerstadt*. Collectio sculpturarum (grex: Inv. 402-405, a.1887 comparatus), invenitur in Museo Bodeano Berolinensi.

## **DE SANCTO IOHANNE (II)**

### **DE EVANGELIO IOHANNIS**

**Evangelium secundum Iohannem**, quod plerumque dicitur Evangelium Iohannis aut breviter Iohannes (abbreviatur per: *Joh*), est liber quartus Novi Testamenti bibliae. Cum sit unum ex quattuor evangeliiis canonicis, multum valet ad fidem christianam. Aliter ac tria evangelia cetera, quae appellantur synoptica, Evangelium Iohannis modo suo dicendi et argumentis suis theologicis est sui generis proprii.

Ex medio aevo Evangelium Iohannis dividitur in capitula viginti unum.

#### **De prologo et dispositione**



Aquila saepe est symbolum et res attributa Iohannis evangelistae. Ecce aquila Iohannea in Apocalypsi Bambergensi picta.

Evangelium Iohannis non incipit a nativitate aut infantiâ aut baptismo Iesu, sed prologo argumenti gravioris, qui formâ est carminis strophici (1,1–18):

*In principio erat verbum  
et verbum erat apud Deum,  
et Deus erat verbum.*

*[2] Hoc erat in principio apud Deum*

*[3] omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est.*

[4] *in ipso vita erat et vita erat lux hominum*  
 [5] *et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt*  
 [6] *fuit homo missus a Deo cui nomen erat Iohannes*  
 [7] *hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine ut omnes crederent per illum*  
 [8] *non erat ille lux sed ut testimonium perhiberet de lumine*  
 [9] *erat lux vera quae inluminat omnem hominem venientem in mundum*

[10] *in mundo erat et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit*  
 [11] *in propria venit et sui eum non receperunt*  
 [12] *quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius*  
 [13] *qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt*

Strophae quattuor priores spectant ad versum 14:

[14] *et verbum caro factum est*  
*et habitavit in nobis*  
*et vidimus gloriam eius*  
*gloriam quasi unigeniti a Patre*  
*plenum gratiae et veritatis.*

In prologo fit rhythmus fortis eo, quod omnis notio nova in sententiâ sequenti recepta continuatur et in omni strophâ novâ cogitatio exponitur. Prologi notiones formaque spectant ad primam creationis relationem Torae (Genesis 1), quae etiam incohatur verbis q.s. *In principio* (hebraicê בְּרֵאשִׁית (*b<sup>e</sup>re'sšit*)) et qua describitur, quomodo Deus se ad mundum vertens eundem ordinem et lucem a tenebris, diem a nocte eqs, id est res inter se contrarias dividat. Ut relatio creationis spectat ad hominem imaginem Dei creandum, sic hîc in prologo Evangelii Iohannis omnia spectant ad inhumanationem verbi, quo Deus omnia creavit. Ergo hic adventus Iesu Christi consideratur incarnatio verbi aeterni, quod ex initio fuit voluntas Dei et quo creatio perficitur.<sup>1</sup>

Prologus hic suppositus est in locum indicum genealogicorum narrationumque nativitatis, quae inveniuntur in Evangeliiis Lucae et

<sup>1</sup> Claus Westermann: *Abriss der Bibeldkunde*. Calwer Verlag, Stuttgart 1979, [ISBN 3-7668-0620-3](https://doi.org/10.1007/978-3-7668-0620-3), p. 164 sq.

Matthaei. Eodem tamquam prooemio<sup>2</sup> anticipantur ea themata, quae deinde tractantur toto evangelio: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis et vidimus gloriam eius.*

Hoc intellegitur etiam praeceptum, quo legantur tres partes principales:

- cap. 2–12: Iesum apparet coram testibus. cap.3–6 (sermones et miracula) et 7–12 (controversiae, Divisio adversariorum et assectatorum)
- cap.13–17: Iesus discipulis valedicit. cap.13 (lavatio pedum), 14–16 (sermones valedicendi), 17 (oratio sacerdotalis Iesu)
- cap.18–21: Iesus glorificatur passione et resurrectione. 18–19 (passio et mors), 20–21 (Apparitiones Iesu resurrecti et missio discipulorum)

## Argumenta

Narratur a testimonio Iohannis Baptistae (1,19) per Iesu efficientiam publicam (2–12) et revelationem eius coram discipulis (14–17) usque ad crucifixionem (18–19) et apparitiones Iesu resurrecti coram testibus (20). Evangelium Iohannis argumentum praecipuum habet nuntium, quo Iesus dicitur esse filius Dei. Hic nuntius consummatur verbis quae sunt

*Ego et pater unum sumus* (10,30)<sup>3</sup>.

Tantâ confidentiâ sui cum Iesus sit, a nonnullis Iudaeis arguitur blasphemiae, qui conentur Iesum lapidare (10,31–33).

His Iesus iohanneus contradicens affirmat se in mundum venisse, ut hominibus faceret Deo propinquos. Qui credat in Iesum eiusque facta divina, eum ideo credere quoque in Deum. Iesu enim incarnatam esse caritatem Dei, qua solâ homines posse servari:

*Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (3,16–17)<sup>4</sup>.

In Evangelio Iohannis Iesus plurimum omnium de se certiores facit discipulos suos sermonibus valedicendi (14–17), quibus discipulis quoque promittit eos cum Deo coadunatum iri. **Paracletum**<sup>5</sup> iis allaturum esse cognoscentiam:

<sup>2</sup> Klaus Wengst: *Das Johannesevangelium*. tom. 1, p. 43.

<sup>3</sup> [30] ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν.

<sup>4</sup> [16] Οὕτως γὰρ ἠγάπησεν ὁ θεὸς τὸν κόσμον ὥστε τὸν υἱὸν τὸν μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται ἀλλὰ ἔχη ζωὴν αἰώνιον. [17] οὐ γὰρ ἀπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν εἰς τὸν κόσμον ἵνα κρίνη τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα σωθῆ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ.

<sup>5</sup> **Paracletus** (graecê παράκλητος) est notio, quae in Evangelio Iohannis compluries invenitur (14,16; 14,26; 15,26; 16,7). Haec notio in theologia christiana solet aequari Spiritui Sancto. A Martino Lutero paracletus theodisce redditus est verbo „Tröster“ (i.e. Consolator). Saepe verba, quae sunt consolatio,

*In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis (14,20)<sup>6</sup>.*

Denique Iesus rogat, ut omnes, qui credant in se, hōc modo coadunentur.

*Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti (17,20–23)<sup>7</sup>.*

Secundum Evangelium Iohannis homo alioquin semper non saturatus, qui cognoverit se cum Deo coadunari, liberari a siti suā vitae insaturabili:

*Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam (4,13–14)<sup>8</sup>.*

Ut homines hoc cognoscant, efficitur cum aliis tum praecipuē *signis* Iesu (graecē *σημεῖα*). Haec signa sunt septem facta Iesu, quae aut expressis verbis sic appellantur aut talia intelliguntur:

1. aqua in nuptiis Canaaneis vinum facta (Joh 2,1–11)
2. sanatio filii „reguli” (Joh 4,46–54)
3. sanatio ad piscinam *Bethsaida* (Joh 5,1–16)
4. miraculum cibationis ad lacum Genezareth (Joh 6,1–14)
5. ambulatio Iesu supra lacum Genezareth (Joh 6,16–26)

---

consolari, consolator adhibentur quoad luctum, e.g. beatificatio (μακαρισμός) altera est haec: Matth.5,4 Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur (graecae: Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται). Aetate Lutheri hoc verbum erat sensu latiore: Quod significavit confirmationem animi eorum, qui sunt animo infracto. Altera in versione bibliae theodisca aetate reformationis facta, id est in biblia Turicensi ab Udalrico Zwingli eiusque cooperantibus confecta, pro verbo paracliti ponitur „Beistand“, item in catholica versione unitaria et in biblia Elberfeldiensi, quae magni aestimatur nonnullis in ecclesiis liberis. Aliae versiones sunt „Helfer“ et „Stellvertreter“ (e.g. nova versio Genavensis). Verbum palaeograecum, q.e. „παρακαλέω“, valet „advocare“; paracletus („παρακλητος“) est ergo „advocatus“. Apud auctores non-christianos hoc verbum est terminus technicus iuridicus et significat „citare, adesse iubere“ (adi.) aut „patronus“ (subst.) aut „deprecator, intercessor“ (cfr LScJ.s.v. παράκλητος, p.1313: "called to one's aid", "legal assistant, advocate", "summoned", "intercessor"). In Evangelio Iohannis Iesus Spiritum Sanctum vocat Paraclitum.

<sup>6</sup> [20] ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ὑμεῖς γινώσεσθε ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ μου καὶ ὑμεῖς ἐν ἐμοὶ καὶ ἐγὼ ἐν ὑμῖν.

<sup>7</sup> [20] Οὐ περὶ τούτων δὲ ἐρωτῶ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν πιστευόντων διὰ τοῦ λόγου αὐτῶν εἰς ἐμέ, [21] ἵνα πάντες ἐν ᾧσιν, καθὼς σύ, πατήρ, ἐν ἐμοὶ καὶ ἐγὼ ἐν σοί, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ᾧσιν, ἵνα ὁ κόσμος πιστεύῃ ὅτι σύ με ἀπέστειλας. [22] καὶ ἐγὼ τὴν δόξαν ἣν δέδωκάς μοι δέδωκα αὐτοῖς, [23] ἵνα ᾧσιν ἐν καθὼς ἡμεῖς ἐν, ἐγὼ ἐν αὐτοῖς καὶ σὺ ἐν ἐμοί, ἵνα ᾧσιν τετελειωμένοι εἰς ἐν, ἵνα γινώσκῃ ὁ κόσμος ὅτι σύ με ἀπέστειλας καὶ ἠγάπησας αὐτοὺς καθὼς ἐμὲ ἠγάπησας..

<sup>8</sup> [13] Πᾶς ὁ πίνων ἐκ τοῦ ὕδατος τούτου διψήσει πάλιν: [14] ὃς δ' ἂν πῖνῃ ἐκ τοῦ ὕδατος οὗ ἐγὼ δώσω αὐτῷ, οὐ μὴ διψήσει εἰς τὸν αἰῶνα, ἀλλὰ τὸ ὕδωρ ὃ δώσω αὐτῷ γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον

6. sanatio caeci a nativitate (Joh 9,1–41)
7. Lazari a somno excitatio (Joh 11,1–44).

Versu 20,31 verbis effertur, quantum in Evangelio Iohannis valeant *signa*:

*Haec (sc. signa) autem scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine eius.*

### **Forma textûs et critica ratio philologica**

Saeculo vicesimo cum theoriae compositionis, fontium, retractationum Evangelii Iohannis sint propositae, his annis iterum magis effertur unitas huius evangelii litteraria.

Numquam in dubium est vocatum incisum 7,53–8,11, quo agitur de muliere adulterâ, non originaliter spectare ad Evangelium Iohannis, quia non traditur codicibus ante saeculum quintum (Papyrus 66, Papyrus 75 e.al.) necnon genere suo dicendi discrepat a ceteris evangelii partibus. Praeterea plerumque capitulum 21 habetur pro appendice capitulorum viginti priorum Evangelii (Ioh.1-20) ab alio auctore scriptâ, quia versûs 20,30–31 iam sunt pars libri finalis et auctor capituli 21 clarê differt ab auctore huius epilogi (21,24). Eorum autem investigatorum, qui putant capitulum 21 esse a redactore posteriore conscriptum, multi contendunt etiam discipulum Iesu dilectissimum non ab auctore ipso, sed a retractatore commemorari<sup>9</sup>. Ergo quaerendum est, utrum discipulus dilectissimus reverâ persona historica fuerit necne. Haec quaestio multum valet ad auctorem Evangelii inveniendum.


Exegetae historico-critici aliis quoque locis evangelii animadverterunt problemata cohaerentiae. E.g. in capitulis 4–7 videtur perturbatus esse ordo temporum, quibus Iesus dicitur versatus esse in urbe Hierosolymâ et Galilaeâ. Haec perturbatio ordinis tolli potest ordine capituli 5 et 6 mutato. Praeterea 18,1 videtur melius quadrare ad 14,31, quia adhortationem Iesu abeundi nulla sequitur actio huiusmodi. Nisi his locis non solum agitur de ordine negligentia perturbato, ii qui defendunt hypothesein redactionis inde concludunt textum a redactore esse retractatum et exauctum suturâ non sublatâ. At alii investigatores putant fractiones textuales posse explicari argumentis tractatis, immo ab auctore de industria esse interpositas rationis dramaticae causâ, et compositionem evangelii universam adscribunt evangelistae.<sup>10</sup>

<sup>9</sup> Discipulus dilectissimus praecipuê his locis commemoratur: 13,23sq., 19,26sq., 20,2sq.; fortasse etiam 1,35–40 et 18,15sq.

<sup>10</sup> Ludger Schenke: *Das Evangelium nach Johannes*. p. 237–238. cfr Friedhelm Wessel: [„Steht auf, lasst uns von hier fortgehen“](#) (PDF; 124 kB).



**ECCE TRES FABULAE  
EDGARI ALLANI POE  
IN LATINUM CONVERSAE**



**CATTUS NIGER** (*The Black Cat*)

**RANUNCULUS** (*Hop-Frog*)

**PUTEUS ET PENDULUM** (*The pit and the pendulum*)



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

CD ROM pdf

€ 27,50

Hic discus compactus textualis constat 27,50 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM TOLLE LEGE !

Etiam longius progressi sunt ii theologi, qui opinantur in Evangelium Iohannis recepta esse scripta fontana (*Quellenschriften*), quae considerantur quaedam narrationes miraculorum collectae, quae appellantur «fons signorum» („*Semeia-Quelle*“, a graeco σημειον „signum“). Nonnulli autem putant relationem passionis (18–19) quadam formâ iam scriptam postea evangelio esse impositam. Sic praecipuê in commentario suo docet *Jürgen Becker*, cui praeterea *Rudolfum Bultmann* secuto persuasum est Evangelium Iohannis fusê retractatum esse a *redactione ecclesiasticâ*.<sup>11</sup>

Defensores harum theoriarum omnium supponunt exempla textuum et traditiones, quae exstitisse ratione historicâ non possunt demonstrari. Scripta fontana aut textûs evangelii magis originales a tradito differentes non exstant. Absentiâ talium testimoniorum necnon abundantîâ hypothesium Evangelii Iohannis criticarum his annis factum est, ut exegetae tales solutiones problematum quadam cum diffidentiâ exactâ considerent<sup>12</sup> et commentator Evangelii Iohannis theodiscus novissimus quaestionibus redactionum et fontium theoreticis renuntians textum commentetur ut opusculum integrum<sup>13</sup>. Itaque investigatores Evangelii Iohannis exegetae magis magisque respiciunt criteria philologa et linguistica et textuali-theoretica, i.e. lectionem tractant ratione synchronicâ atque diachronicâ.<sup>14</sup>

### **Quae ratio intercedat inter Iohannem et evangelistas synopticos**

Theologi inter se omnino non consentiunt, utrum Evangelium Iohannis dependeat a tribus evangeliiis synopticis necne. Haec quaestio adhuc restat incerta et litigiosa<sup>15</sup>. Multi exegetae nunc denuo putant Iohannem novisse saltem Evangelium Marci.<sup>16</sup> Difficile est iudicatu, quamnam rationem Evangelium Iohannis habeat ad synoptica, quia ex unâ parte valdê differat a synopticis structurâ, sermone, elocutione, materiâ, ex alterâ parte multis locis continet argumentum idem aut simile.

<sup>11</sup> Jürgen Becker: *Das Evangelium nach Johannes*. 2 tomi. (= *Ökumenischer Taschenbuchkommentar zum Neuen Testament*. tom. 4/1–2; = *Gütersloher Taschenbücher Siebenstern*. Tom. 505/506). 3.ed. 2 tomi, Gütersloher Verlagshaus Mohn e.al., Gütersloh a.1991.

<sup>12</sup> Ingo Broer: *Einleitung in das Neue Testament*. p. 186.

<sup>13</sup> [Hartwig Thyen](#): *Das Johannesevangelium*. (= *Handbuch zum Neuen Testament*. tom. 6). Mohr-Siebeck, Tübingen a.2005, [ISBN 3-16-148485-1](#).

<sup>14</sup> Thomas Söding (Hrsg.): *Johannesevangelium – Mitte oder Rand des Kanons? Neue Standortbestimmungen*. (= *Quaestiones disputatae*. Band 203). Herder, Freiburg im Breisgau a.2003, [ISBN 3-451-02203-6](#).

<sup>15</sup> Ingo Broer: *Einleitung in das Neue Testament*. p. 198 animadvertit, quam vehementer inter se differant doctorum opiniones, et concludit hac quaestione tractanda exegetas Novi Testamenti nullam laudem sibi peperisse.

<sup>16</sup> cfr quoad hoc et ad historiam huius quaestionis Jörg Frey: *Das Vierte Evangelium auf dem Hintergrund der älteren Evangelientradition. Zum Problem: Johannes und die Synoptiker*. In: Thomas Söding (ed.): *Johannesevangelium – Mitte oder Rand des Kanons? Neue Standortbestimmungen*. p. 60–118.

Ecce conspectûs sequentes, quibus exponuntur gravissimae contrarietates et communitates:

### Quae Iohannes communia habeat cum evangelistis synopticis

Iohannes	Incisum	Synoptici
4,46–54	Filius reguli sanatur.	Lucas 7,1–10
6,1–21	Quinque milia hominum cibantur et Iesus super lacum ambulat.	Marcus 6,32–52
12,12–15	Iesus introit in urbem Hierosolymam.	Marcus 11,1–10
13,1–30	Cena ultima sumitur et Iesus Iudam significat traditorem.	Marcus 14,12–21
18,2–12	Iesus in horto Gethsemane comprehenditur.	Marcus 14,43–53
18,12sqq.	Iesus interrogatur a Iudaeo pontifice, coram Pilato causam dicit, crucifigitur.	Marcus 14,53sqq.

### Peculiaritates Evangelii Iohannis

#### Peculiaritas

Prologus Evangelii Iohannis (1,1–18) ratione suâ hymnico-contemplativâ est scriptum unicum et singulare.

Excitatio Lazari a somno non narratur nisi in Evangelio Iohannis ibique signum Iesu ultimum et maximum pondus habet gravissimum (11).

Insignes sunt sermones Iesu frequentes et prolixi, praesertim sermones valedictorii, qui fiunt per quinque ferê capitula (13–17).

Sermones Iesu saepe spectant ad personam eius propriam („Ego sum“) et continent metaphoras fortes („aqua viva“, „lux mundi“, „panis vitae“).

### Quatenus Iohannes differat a Synopticis

Iohannes	Thema	Synoptici
Iesus sermones habet prolixiores meditativos et theologicos.	<b>Iesus quo utatur modo loquendi:</b> Variae sunt condiciones loquendi (publicê/coram discipulis) et auditores.	Apud Synopticos Iesus loquitur sententiis brevibus et parabolis.
Memorantur complures commorationes Iesu Hierosolymenses, quae breviter tantum interruptae sunt itineribus in Galilaeam factis. Iesus plurima efficit Hierosolymae .	<b>Itinera Iesu</b>	Iesus compluries a Galilaeâ se confert Hierosolymam.
Apud Iohannem eiectio e templo tamquam programma narratur in initio, in evangelii capitulo secundo (2,13–22).	<b>Iesum e templo eiecisse venditores et nummularios</b>	Secundum Synopticos eiectio e templo fit versus finem efficientiae Iesu (Mc 11,15–18) ut offensio adversariorum et causa interfectionis.
Apud Iohannem Iesus expressis verbis non vult rogare, ut Deus sibi parcat a passione (12,27, 18,11).	<b>Iesus versatur in Gethsemane.</b>	Apud Synopticos Iesus rogat Deum, ut transferat calicem hunc a se (Mc 14,36).

Verba quae sunt „Consummatum est!“ similia sunt voci triumphi ( <i>Psalmus 22 exeunte – versu 32c</i> )	<b>lesu verbum ultimum ad crucem dictum</b>	lesus queritur se a Deo relictum esse ( <i>Psalmus 22 ineunte, versu 2</i> )
Dies, quo Iesus moritur, est Parasceue sollemnitatis Pessach, quae fit per 7 dies (i.e. d.14. ipsius Nisan).	<b>Chronologia narrationis passionum Iesu</b>	Apud Synopticos dies, quo Iesus moritur, est primus dies festus sollemnitatis (d.15. ipsius Nisan)


Antiquâ iam aetate propter has differentias negatum est evangelium inesse veritatem historicam, velut in Porphyrii opere, quod inscribitur *Contra Christianos*. Differentiae evangeliorum usque hodie adversariis fidei christianae argumento sunt vituperandi. Necnon his contradictionibus iterum iterumque excitantur theologi exegetae<sup>17</sup>.

Propter differentias et communitates fieri non potest, ut clarè iudicetur de ratione, quae intercedit evangelio Iohannis et synopticis. Multi exegetae opinantur evangelium novisse Evangelium Marci et fortasse etiam – praesertim in relatione passionis – Evangelium Lucae aut supponere lectorem illa evangelia iam novisse. At evangelia synoptica non evidenter ab auctore Evangelii Iohannis adhibentur ut testimonia aut exempla scripturalia, etiam ibi non adhibentur, ubi Evangelium Iohannis continet materiam eandem. Profecto Iohannes materias traditas reddit ratione valdè propriâ. Itaque quidam investigatores pauci sentiunt Iohannem aditum habuisse ad fontes et scripta tradita, quae non dependerint ab Evangelio Marci (quod est antiquissimum) ideoque putant Evangelium Iohannis prius esse Marci, partim quoad tempus scribendi.<sup>18</sup>

Nobis istum statum investigationum sat incertum considerantibus nihil restat dicendum nisi hoc: Evangelium Iohannis ne legatur ut supplementum neve emendationem evangeliorum synopticorum, sed ut opus sui generis sui que ingenii proprii.

<sup>17</sup> Jörg Frey: *Das Vierte Evangelium auf dem Hintergrund der älteren Evangelientradition. Zum Problem: Johannes und die Synoptiker*. In: Thomas Söding (Hrsg.): *Johannesevangelium – Mitte oder Rand des Kanons? Neue Standortbestimmungen (= Quaestiones disputatae. Band 203)*. Herder, Freiburg im Breisgau 2003, [ISBN 3-451-02203-6](#). p. 61–64.

<sup>18</sup> cfr. conspectus, quem praebet Jörg Frey: *Das Vierte Evangelium auf dem Hintergrund der älteren Evangelientradition. Zum Problem: Johannes und die Synoptiker*. In: Thomas Söding (ed.): *Johannesevangelium – Mitte oder Rand des Kanons? Neue Standortbestimmungen*. p. 71–76.



**FABULA NOVELLA**  
**DE THILO CUSTODE FERRIVIAE**

*(Bahnwärter Thiel)*

QUAM SCRIPSIT

**GERHART HAUPTMANN**

IN LATINUM CONVERTIT

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

CD ROM pdf

€ 24,90

Hic discus compactus textualis constat 24,90 € et directè per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM TOLLE LEGE !

## Auctor Evangelii Iohannis

**Evangelista Iohannes** est auctor Evangelii Iohannis principalis. Secundum doctrinam christianorum traditam îdem est Iohannes apostolus et discipulus Iesu dilectissimus îdemque putatur esse auctor Epistularum Iohannis et Apocalypsis. At haec doctrina vehementer addubatur ab exegetis historico-criticis. Haec controversia, quae appellatur **quaestio Iohannea**, est quaedam pars historiae Evangelii Iohannis investigandi.<sup>19</sup>

## Testimonia historica

### Evangelium Iohannis

In Evangelio Iohannis auctor textûs appellatur discipulus Iesu dilectissimus nominis expers:

Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius, et dixit: Domine quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine hic autem quid? Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur. Sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec: et scimus, quia verum est testimonium eius. Sunt autem et alia multa, quae fecit Iesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

– (Ioh 21,20–24)

Licet capitulum evangelii finale testificetur auctorem esse discipulum dilectissimum, tamen deest indicium Iohannis apostoli. Praeterea hîc quidam grex auctorum videtur loqui personâ primâ plurali, qui differt ab auctore textûs principalis Ioh 1-20. Apparet in toto Evangelio Iohannis contra ac in evangeliiis synopticis numquam commemorari nomen Iohannis. Cum scribitur de *Iohanne*, semper agitur de *Iohanne Baptistâ*. Filii Zebedaei – apud Synopticos innotuerunt Iacobus atque Iohannes (Mc 1,19) – in 21,2 demum apparent, sed ibi quoque non nomine appellantur. Itaque sunt qui sentiant circulum quendam Iohanneum, qui etiam curaverit adiungendum capitulum finale ad textum, discipulum dilectissimum hominem quendam Iesu proximum verbis extulisse, ut haberet testem et auctoritatem indubiam. Accedit, quod evangelium non solum in fine (21,24), sed iam in prologo loquens personâ primâ plurali usus (Ioh.1,14.16) affert testes oculatos Iesu apparentis. Verbis effertur

<sup>19</sup> cfr. Martin Hengel, *Die Johanneische Frage. Ein Lösungsversuch, mit einem Beitrag zur Apokalypse von Jörg Frey*. Tübingen a.1993 = WUNT 67, [ISBN 3-16-146292-0](https://doi.org/10.1007/978-3-16-146292-0)

auctoritas testis cuiusdam insignis, ad quem membra communitatis iohannei provocant.

### Testimonia ecclesiae prioris



Ecce discipulus Iesu dilectissimus super pectus eius recumbens (*Dilectio Iohannis*). Haec sculptura confecta est in regione Lacûs Brigantini, a. 1310.

**Dilectio Iohannis** nominatur quoddam thema iconographiae christianae, quod ex aetate gothicâ notum est. In imaginibus huiusmodi exponitur Iohannes apostolus super pectus Iesu recumbens. Sculpturae huiusmodi appellantur etiam *grex Christi et Iohannis*. Hoc genus imaginum exortum est e relatione biblicâ, qua discipulus Iesu dilectissimus dicitur in cenâ ultimâ super pectus Iesu recubuisse (cfr Ioh.13,23-25). Grex duarum figurarum Christi et Iohannis quodammodo exsolutus est e cohaerentiâ scaenicâ imaginis cenae ultimae.

Artifex exponit eximiam Iohannis ad Christum proximitatem, quam christianus oportebat ut contemplaretur (est imago contemplativa). Pius contemplator animo fingebat Iohannem cordi Iesu appositum secreta mystica spectavisse. Versus annum 1300 hoc genus sculpturarum exortum est in Germaniae austro-occidentalis monasteriis mulierum ordinis Dominicani.



### **Dilectio Iohannis.**

**Sculptura saeculo 14. ineunte confecta,  
invenitur in Bavarico Museo Nationali Monacensi**

Grex huiusmodi omnium illustrissimus confectus est a *Magistro Henrico Constantino*<sup>20</sup> in helvetico *Monasterio Vallis Sanctae Catharinae*<sup>21</sup>. Hodie haec sculptura invenitur in Belgio, Antverpiae, in Museo *Mayer van den Bergh*. Sculptoribus exemplo fuerant imagines eiusdem thematis libris impositae.

Discipulus nomine indicto apparet aliis quoque locis Evangelii Iohannis: Iesus moriens ei mandat matrem (19,26), îdem primus discipulus ante Simonem Petrum testificatur sepulchrum Iesu esse vacuum (20,2) et Iesum resurrexisse (21,7). Iesus dicit hunc discipulum Petrum vitâ superaturum esse (21,20). Denique hic discipulus îdem esse ac auctor evangelii dicitur (21,24).

Discipulus Iesu dilectissimus in iconographiâ christianâ ex medio aeo ineunte saepe exponebatur androgynus; nonnulli opinabantur Iesum cum eodem coniunctum esse amicitîâ homoeroticâ<sup>22</sup>. *George Steiner* investigator litteraturae animadvertit (a.1996) evangelii commemorationem gestûs blandissimi (loh.13,23) similem esse quibusdam locis graecorum operum, quibus agatur de amicitîis


<sup>20</sup> i.e. Meister Heinrich von Konstanz

<sup>21</sup> Kloster St. Katharinenthal (Schweiz).

<sup>22</sup> Andreas Krass: *Der Lieblingsjünger und die Folgen*. In: Josch Hoenes, Robin Bauer, Volker Woltersdorff (ed.): *Unbeschreiblich männlich. Heteronormativitätskritische Perspektiven*. Männerschwarm, [ISBN 3-86300-027-7](https://www.isbn-international.org/product/9783863000277), p. 43-62



homoeroticis magistri discipulique, velut apud Platonem<sup>23</sup>. Theologus *Theodore Jennings* a.2003 discipulum Iesu dilectissimum descripsit esse Iesu amasium cinaedum<sup>24</sup>.



**Grege Christi et Iohannis, quem ca. a.1280 – 1290 (?) confecit Magister Henricus Constantinus.**

**„Imago Sancti Iohannis a Magistro Henrico, sculptore Constantino, ex arbore nucis tam pulchrè confecta est, ut omnis homo miraretur, immo ipse magister.“<sup>25</sup>**

In exegesi historico-criticâ haec explicatio nihil valet. *Martti Nissinen* a.1998 adnotat antiquis textibus etiam dici de discipulo iuxta magistrum iacente, si sint sexûs diversi. Agi de conventionem generali, qua non significetur ratio erotica aut sexualis.<sup>26</sup> Discipulus dilectissimus habetur pro figura symbolica, qua repraesentetur officium testificandi omnium apostolorum postpaschalium. *Klaus Wengst* affirmat falso sentiri Iesum hunc discipulum plus dilexisse quam ceteros.<sup>27</sup>

<sup>23</sup> George Steiner: *The Two Suppers*. In: George Steiner: *No Passions Spent: Essays 1978–1996*. Faber and Faber, London a.1996, p. 390–419

<sup>24</sup> Theodore Jennings: *The Man Jesus Loved*. Pilgrim Press, 2003, [ISBN 082981535X](https://www.pilgrimpress.com/978082981535X)

<sup>25</sup> i.e. originaliter: „St. Johannes Bild wart von Meister Heinrich, dem Bildhauern aus Constantz, uss einem Nussbaum so schön gemacht, dass jedermann verwunderte, der Meister selbst.“ Haec sunt verba chronicae monasterii helvetici St. Katharinenthal prope Diessenhofen siti. cfr [Hans Wentzel](https://www.reclam.com/9783709196159): *Die Christus-Johannes-Gruppen des XIV. Jahrhunderts*. Philipp Reclam Jun., Stuttgart 1960.

<sup>26</sup> Martti Nissinen: *Homoeroticism in the Biblical World*. Minneapolis a.1998, p.122. Interpres, ut verum confiteatur, hanc explicationem a Martti Nissinen allatam ab auctore Wikipediano theodiscè redditam non ita bene intellegit. cfr [https://de.wikipedia.org/wiki/Bibeltexte\\_zur\\_Homosexualitaet%C3%A4t#Joh\\_13.2C23](https://de.wikipedia.org/wiki/Bibeltexte_zur_Homosexualitaet%C3%A4t#Joh_13.2C23), Joh 13,23: „Martti Nissinen (1998) verwies darauf, dass antike Texte auch vom Liegen eines Schülers an der Seite seines Lehrers sprachen, wenn beide verschiedenen Geschlechts waren. Es handele sich um eine allgemeine Konvention, die nicht auf eine erotische oder sexuelle Beziehung hindeute.“

<sup>27</sup> Klaus Wengst: *Das Johannesevangelium. 2. Teilband: Kapitel 11-21*. 2.ed., Kohlhammer, Stuttgart 2007, [ISBN 978370198159](https://www.kohlhammer.com/978370198159), [S. 112, Fn. 65](#)

**TRILOGIAE IOHANNEAE  
PARTEM ALTERAM  
E SYMBOLIS WIKIPEDIANIS,  
QUAE INSCRIBUNTUR**

*Evangelium nach Johannes, Johannes (Evangelium),  
Johannesminne, Bibeltexte zur Homosexualität*

**COMPILAVIT  
ET IN LATINUM CONVERTIT**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

---



domus editoria MundusLatinus, Udalricus Krauße, Germania  
**Miraculum vitae**  
 libellus, 107 paginae, magnitudo 24,0 x 17,0 , 185  
 photographemata illustrationesque plerumque coloratae, auctor  
 Arminius Maiwald, interpres Udalricus Krauße  
 19,95 Euro  
 ISBN: **978-3-9813892-5-8**



Domus editoria MundusLatinus, Udalricus Krauße, Germania  
**Fabulae Latinae – Tomus 1**  
 libellus, 93 paginae, magnitudo 24,0 x 17,0 , 126  
 photographemata illustrationesque plerumque coloratae, auctor  
 Arminius Maiwald, interpres Udalricus Krauße  
 19,95 Euro  
 ISBN: **978-3-9813892-6-5**

Lingua antiqua in forma nova – aptata, facilis intellectu, attractiva,

In serie librorum nomine "Arminius narrat ..." gratiae fabulae auctoris Armini Maiwald  
 recenti more narrantur – atque lingua Latina.

Primum, editione speciali huius seriei, invenimus "**Miraculum Vitae**": Unum ex maximis  
 inceptis, quae Arminius et socii eius umquam peregerunt. Multis imaginibus attractivis non  
 modo videmus quomodo homo novus oriatur, sed etiam quomodo vita privata parentum  
 futurorum temporibus maxime mutabilibus plene perturbetur.

Tomo primo libelli "**Fabulae Latinae**" legimus:

#### 1. Latrina sideralis

In stratum cosmicum volare tibi solum licet, si latrinam sideralem recte adhibere potes.

#### 2. Vestimentum officiale Papae

Omnis bulla propriam fabulam habet.

#### 3. Ignem facere

Cum silice et fomite – ignitabulum aetatis lapideae

#### 4. Placenta praecipua

Duo cum idem faciunt, non est idem

Ambo libelli imaginibus abundant: Omnis imago paucis verbis explicatur. Initio mensis Julii  
 anno 2016 ambo tomi divulgabuntur: "Miraculum vitae" atque "Fabulae Latinae, Tomus I".

**Mandatione praematura usque ad 15.5.16 librum additum a societate MundusLatinus gratis  
 accipies.** Vide libros additos hic [www.munduslatinus.de](http://www.munduslatinus.de). Mitte, quaeso, mandationem

praematuram per epistulam electronicam ad

[ulrich.krausse@t-online.de](mailto:ulrich.krausse@t-online.de)

Tel.: 05451-9975525

Ulrich Krauße, Große Str. 54, 49477 Ibbenbüren

[www.munduslatinus.de](http://www.munduslatinus.de)

## ECHUS VOCES

### HARTMUT LOOS PRAESES UNIONIS PALAEOPHILOLOGORUM GERMANICAE

**Gratias maximas. Gaudium habeo epistulis legendis. Hartmut Loos**

Deutscher Altphilologenverband Hartmut Loos, OstD Vorsitzender Am Roßsprung 83 67346 Speyer 06232-854217

### MARGIT WOLLNER

Lieber Herr Dr. Groß,

auch wenn ich inzwischen schon den 101 bekommen habe - herzlichen Glückwunsch zum Hundertsten!!! Das ist eine tolle Leistung!!! Ich weiß nicht, wie Sie das schaffen!!! Viele Grüße Margit Wollner

### ULRICH KRAUSSE

Udalricus domino Groß s. p. d.

Care domine Groß, Tandem tibi textum commendationis ab Licoppes correctum mittere possum. Hunc textum fortasse in tuis epistulis Leolatinis monstrare velis. Labor correctionis praeterea mox finitus erit, ergo brevi tempore versiones finales praepare potero. Te iterum certiore faciam. Medullitus salutatur. Ulrich Krauß Große Str. 54 D-49477 Ibbenbüren Tel. +49 (0)5451-9975525 mailto: [ulrich.krausse@t-online.de](mailto:ulrich.krausse@t-online.de) Homepage: [www.munduslatinus.de](http://www.munduslatinus.de)



## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hâc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SECUNDAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Dominico, d. 24. m.Apr. a.2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**